



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Dachativs M. 15. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Hic NICASII Rhemenfis Pont. & sororis ejusdem germanæ EUTROPIÆ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias dux barbarus, jamque Rhemenfis etiam malum minabatur, cum cives ad asylon suum NICASIVM confugerunt. Ille exitium urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoque exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suavit, neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ hucusque ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus EUTROPIA stipante, obviam hosti ad D. VIRGINIS progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cum formæ miles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos carnificis involat, mortemque invitam in se armat. Interea contra barbaros cælum movit, cujus copiam visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terrâ tegerentur, splendore olim his ipsis certatura. *Ex Surio.*

Carnem affixisse, libidinem superasse, avaritia restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Ergo si tormenta Martyrum perferre non possumus, vel contra malas concupiscentias repugnemus S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIVS M. 15. Decembris.

DACHATIVS Palæstinus sex fratres germanos fertur numerasse, ipse septimus, imò inter omnes

omnes primus meritò laudatur. Nam cum pater exigui lucelli spe, quam Rex Saracenus ostentabat, inductus, à Christo ad Mahometis partes malum pedem tulisset, repressit suum DACHATIUS; rectè sic à parente degener. Post ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater optulit, DEI ductu & matris optimæ, Ierosolymas abiit, tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio, ingentibus, quæ postea edidit, præliis egregius sui victor prælusit. Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit, & cum matri copias junxisset, post multas pugnas fratres omnes dare manus victas Christo coegit. Vnum tantum excipe, qui fide non germanâ, sed Punicâ sanè, DACHATTI nomen ad Prætorem detulit. Hic victum ad Tribunal misit. Sed neque fratris perfidia, neque carnificum tormenta tantum potuerunt, ut non vinceret DACHATIUS. Victor igitur caput gladio submitit tot civis coronis condecorandum, quot patriæ cælesti cives fratres servavit. *Ex Menais.*

Nihil est quod anima possit equiparari, ne universus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. S. Ioan. Chryl. super Psal. 48.

S. CHRISTIANA ANCILLA IBERA.
15. Decembris.

HVjus quoque nomen nescimus. credo, quia virtus supra cælos hoc exivit. Illud satis constat, vixisse, cum rerum Constantinus potiretur, & Iberis servitutem servivisse; ceterum præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hæc SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse.